

Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 109

Adrianus episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Radulfo priori ecclesiae s(anctae) Crucis de Tutela eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Religiosam uitam eligentibus apostolicum conuenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et praefatam ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub b(eati) Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et b(eati) Benedicti regulam et institutionem monasterii s(ancti) Martini Sagiensis in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante domino poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda uocabulis: ecclesiam de Monte Acuto cum omnibus pertinentiis suis, possessiones, quas Michael bonae memoriae Tirasonensis quondam episcopus canonice uobis concessit, ecclesiam s(anctae) Ma(riae) extra muros Montis Acuti cum hospitali suo, ecclesiam de Castellione, capellam s(ancti) Leonardi de Vacaril, quicquid iuris habetis in Alfaro, in Corella, in Quadrato, in Poleria, in Murello, in Calertis, in Uleheran, in Tosobril, in Bugnol, in Curtis et in Macertora. Statuimus praeterea, ut nulli episcoporum aut cuiuslibet ecclesiasticae uel saeculari personae liceat antedictam ecclesiam indebitis exactionibus fatigare seu aliquod ei grauamen inferre. Sepulturam quoque ipsius ecclesiae liberam esse concedimus, ut eorum deuotioni et extremae uoluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati uel interdicti sint, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo etc., salua sedis apostolicae auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur etc. Cunctis autem etc. Amen.

R. Ego Adrianus catholicae ecclesiae episcopus ss. BV.

Ego Gregorius Sabinensis episcopus ss.

Ego Galterius Albanensis episcopus ss.

Ego Bernardus Portuensis et s(anctae) Rufinae episcopus ss.

Ego Astaldus presb. card. tit. s(anctae) Priscae ss.

Ego Iohannes presb. c(ard.) tit. sanctorum Siluestri et Martini ss.

Ego Guido presb. card. tit. s(ancti) Calixti ss.

Ego Odo d(iac.) c(ard.) s(ancti) Georgii ad uelum aureum ss.

Ego Iacintus d(iac.) c(ard.) s(anctae) Mariae in Cosm(idin) ss.

Ego Ardicio diac. card. s(ancti) Theodori ss.

Ego Boso diac. card. sanctorum Cosmae et Dam(iani) ss.

Ego Cinthius diac. card. s(ancti) Adriani ss.

Ego Raimundus diac. car(d). sanctae Mariae in uia lata ss.

Dat. Tuscul. per manum Hermanni domini papae subdiaconi et scriptoris IV kal. iunii,
indictione VII, incarnat(ionis) dominicae anno Mo. Co. Lo. IXo, pontificatus uero domni
Adriani papae IV anno Vo.